



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

Seculum XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

berto Habspurgico Rudolphi filio, cuius virtutem magni aestimare, sed & potentiam tandem timere didicit, jam non imperare, sed obedire Imperatori doctus, praesertim ubi Bingio à Caesareanis occupato circumfusas Moguntiae copias aspexit. An. 1292. Aschaffenburgi Synodum celebravit, cui aderant Episcopi Bambergensis, Herbipolensis, Augustanus, Eustadianus, Hildesimensis, Wormatiensis, Spirensis aliique: ejusdem Synodi acta in compendium conscripta legerunt & laudarunt plurimi. An. 1298. Pragae Wenceslao Regi & hujus regiae conjugi Jutae imposuit coronam: Insulam vero suam amisit morte ereptam an. 1304. annorum 16. Praesul. Sub Pontificibus Nicolao IV. Coelestino V. Bonifacio VIII.

S E C U L U M XIV.

XXXIX. PETRVS ELECTOR XXIII.

Petrus in Archiepiscopatu Trevirensi ex pauperibus natus parentibus, in juventute medicinae, & una scientiis pluribus strenuam navavit operam, Theologiae etiam non parum peritus. Henrico Luelburgico futuro Caesari exoptatus Medicus, in rebus cunctis suam plurimum commendavit industriam, arcanorum ferè omnium in aula arbiter. Igitur Henricus ut Balduinum fratrem suum 18. annorum juvenem in Moguntiae Sedem Archiepiscopalem promoveret, misit Petrum Legatum ad Clementem V. Pontificem in Gallia tum commorantem. Praeter alia in Balduino displicuit Clementi juvenilis aetas. Re itaque infecta dum Medicus simulque Legatus sese accingit ad reditum, subito Pontifex morbo corripitur; quem cum Petrus porrectis pharmacis tridui spatio dispulisset, in grati animi testimonium à Clemente nominatus & confirmatus est Moguntinus Archiepiscopus his dictis: *Cum noveris tam perite curare corpora, noveris etiam deinceps curare animas.* Idem hic Petrus vel author, vel adjutor fuit maximus,

CUR

cur Balduinus an. 1307. Trevirensis Elector, & Henricus Lüzelburgicus an. 1308. Imperator, atque alter ejusdem filius Joannes an. 1311. Bohemorum Rex fuerit electus. Mortem Henrici Imperatoris adeò doluit, ut dicere auditus fuerit, intra quinque secula mortuum non fuisse vel Imperatorem, vel Regem, cuius mors ansa fuisset tot malorum, quot erat mors Henrici. Vera dixisse Petrum, rei eventus monstravit: cùm enim in electione Imperatoria Ludovico Bavaro faveret Petrus unà cum aliis, Electores verò diversi Fridericum Austriacum Ludovico præferrent, innumeris in Imperio malis datum est initium. Nunquam tamen cessavit Petrus strenuè suo fungi munere: omnium enim subditarum animarum curam habuit sedulam, & inter primas suæ: cùm per integras ferè noctes adgeniculatus aris domesticis Deo loqueretur, & Evcharistiæ dape, si ad aram facere per vires non licuit, saltem alternis diebus refici desideraret, ad iter æternitatis nunquam non bene paratus, quod adiit inter communes luctus an. 1320. Annorum 15. Elector sub Pontificibus Clemente V. Joanne XX.

XL. MATHIAS ELECTOR XXIV.

MAthias Comes Burgundus in Principi Monasterio Murbacensi Ord. S. Benedicti solidis omnino virtutibus adversus quasvis dæmonis & pravorum hominum insidias præmunitus, & hac de causa Joanni XX. Pontifici non ignotus, potentissimis æmulis ab eodem est antehabitus. Inter æmulos Princeps Balduinus Trevirensium Archipræsul, perspectis Mathiæ dotibus eximiis, eidem in rebus adversis adjutor esse cœpit damnato errore suo: unde hujus & aliorum potentissimo adjutorio fretus Hassiæ Landgrævium, uti vocamus, rapinis & incendiis grassantem subjugavit; Wirtenbergensem etiam ejus temporis Comitem Marchioni Badensi perinfestum compressit: ad hæc Bingenfes,

Er-

Erfordenses & Nordhusianos sacratis Deo ædibus & monasteriis permolestos coercuit. Tot hostibus minimè superatum insidiis suis vincere *teste VVione* non desperârunt malè morati Medici, qui cum morbis conflictanti tanto Præsuli non veriti sunt Venereos amores suadere, subornatâ jam eum in finem sacrilegum impudicâ forminâ, quam tamen sibi præsentissimus & constantissimus Antistes continuò rejecit cum pejoribus Medicis. Eadem tempestate inter Ludovicum Bavarum, & Fridericum Austriacum summopere fervebant Martis classica. Gravissimis itaque difficultatibus occurrendum ratus Moguntinus Elector, Concilium an. 1327. convocavit. *Inminentibus dein*, uti ait *Trithemius*, in dies magis periculis & turbis est ereptus Vir omni honore perpetuâque memoriâ dignus an. 1328. Sedis 8. aut 9. sub Joanne XX.

XLI. HENRICVS III. ELECTOR. XXV.

Henricus III. Comes de Virneburg à Joanne XX. Pontifice invitis Canonicis Archipræsul oblati, aut veriùs obtrusus, per annos tres continuos est repulsus, multis, ut edoceretur ritè Sedes Romana, rogantibus & clamantibus. Tempore cedendum ratus Joannes Pont. Balduinum Trevirorum Archipræsulem, à Moguntia Clericis licèt invitum in suum Electorem quoque electum, Henrico dedit Adjutorem, qui utriusque Ecclesiæ solertem curam gessit, procul pulsus hostibus externis & domesticis. Finito inter lites triennio, Henricus Elector confirmatus, Moguntiamque introductus, paratum expeditumque ad rerum omnium cessionem expertus & miratus est Balduinum. Malè cessisse docuit Henrici in malo pertinacia: Pontificum enim & Clericorum hostibus adstitit, contemptis minis & quibusve pœnis Ecclesiasticis. Quare ejus in locum susceptus Comes Nossovia, octo annis continuis infensissimum sibi hostem pertulit Henricum, Ecclesiæ Moguntinæ summo detrimento. E Sede Mogun-

G

tia

tia rejectus est Henricus post annum 14. Christi 1346. Sedebant eodem tempore Joan. XX. dictus XXII. & Benedictus XI.

XLII. GERLACHVS ELECTOR. XXVI.

Gerlachus is ipse Comes Nassovia post annorum octo curriculum tandem quieta Sede potitus, Caroloque IV. Imperatori peracceptus, Bullam Auream Romani Imperij Regulam unam cum Electoribus & Viris Principibus reliquis conscriptam probavit. Mox verò ad reformationem morum, præsertim verò Ecclesiasticorum virorum conversus, hortante Carolo Imperatore, Pontificij Juris Regulas gnaviter observavit. Hoc sedente Archipræsule Pragæ omnium primus creatus Archiepiscopus copiam impetravit coronandi deinceps Bohemorum Reges: at ne injuriam irrogari sibi conquererentur Moguntini Antistites, quibus coronandi Reges Bohemos privilegium hæctenus concessum favebat, hanc ob causam Hæchstium urbem eorundem ditioribus adjecit Imperator. Annis 18. post sepultum Henricum floruit ad annum Christi usque 1371. sub Pontificibus Clemente VI. Innocentio VI. & Urbano V. Gerlachus, de quo tamen pauca meminere Historici rerum compendiis contenti.

XLIII. IOANNES I. ELECTOR XXVII.

Joannes I. Dux Lüzelburgicus, Caroli IV. Imperatoris precibus à Gregorio XI. auditis, confirmatus est Moguntia Elector, Cunone Falckensteinio Trevirensium Archiepiscopo alteram dignitatem non optante, & Comite Nassovio Adolpho non consequente. Annis 2. solum Pastorale Moguntia Pedum tenuit, quo tamen tenente an. 1372. frequentissimus Ecclesiasticorum juxtaque Politicorum Principum conventus, ipso etiam præserte Imperatore, Comitibus celebravit, ut Pontifici Ecclesiasticorum redituum decimas poscenti responderet Imperium. Mox dein vivis ereptum

ereptum Joannem desideriiis multis desiderarunt multi paucorum verborum synopsis encomia Archipræsulis sui comprehensuri, dum dixerunt: *amissimus Episcopum, ovem, & agnum.* Quæ verba in deteriorem partem interpretatus *Vimphelingius* ait, fuisse pinguem & bonum, officij verò minùs, quàm conviviòrum æstimatorem. *Vide Guilmanum de Episcopis Argentoratensibus.*

XLIV. ADOLPHVS I. ELECTOR. XXVIII.

Adolphus I. Gerlachi patruì nepos, in Archipræsulem Moguntinum cooptatus, annis compluribus Ludovicum Misnia Marchionem Bambergæ Episcopum expertus est hostem, Carolo Imperatore Ludovici partibus favente, & suam in sententiam Pontificem Gregorium XI. pertrahente. Arbitrio tandem mortis, quæ crebrò nemine hominum opinante, lites dirimit gravissimas, causâ cecidit Ludovicus, post lautas epulas subitò correptus morbo & obrutus morte, uti narrat *Kranzius* aliique. Annis dein reliquis fracto Hassiæ Landgravio Hartmanno repetitis victoriis, pacis fructibus frui licuit Adolpho, cujus tempora Superi raro miraculo illustrarunt, blasphemam lusoris linguam & manum Moguntia ultì. *Vide Serarium*, qui ligata & soluta oratione manantem è sacris imaginibus sanguinem, & multa alia copiosè descripsit. Sedit Adolphus an. 16. mortuus est an. 1388. Floruerunt eodem tempore Gregorius XI. & Urbanus VI.

XLV. CONRADVS II. ELECTOR XXIX.

Conradus II. Comes Weinspergius Adolpho in Sede Moguntina subrogatus, pacem desideravit, haud impetravit: anno enim Conradi primo Moguntia, Spira, Wormatia & Francofurtum icto fœdere contra Rupertum Ducem Palatinum invito Archipræsule in aciem egressæ, malèque multata pedem retulerunt faucium: multis namque trucidatis è captivo-

rum numero, sexaginta partim viros, partim juvenes in ardentem fornacem præcipitari mandavit Rupertus, quòd concubia nocte oppidis & villis flammam subdidissent. Eadem fermè ætate deprehensa Waldensium hæresis, multis Moguntia salutem, auctoribus verò suis exitio fuit: sex enim & triginta viros ea ex lue plurimum jam infectos infamis sustulit Bingii ignis, ne ossa quidem superessent hæresis testes, aut fortè zizaniorum novorum semina. Hæc de Moguntia potiùs, quàm Moguntino Electore Conrado scripsere *Tribemius & Serarius*, quem *tranquillum & pacificum* fuisse contenti sunt dixisse; qualis scribendi methodus multis in locis nobis ut sufficiat, necesse est. Annis 7. Moguntiam rexit, mortuus 1395. sub Bonifacio IX.

XLVI IOANNES II. ELECTOR. XXX.

Non semper lentè festinandum esse, exemplo suo docuit Joannes II. Comes Nassovia Conradi II. Archipræfulis Moguntini frater, qui ut Pedum Archiepiscopale Godefrido Comiti Leiningensi æmulorum maximo præriperet, properè Romam contendit, pedibus velocior, non meritis felicior. Corpore parvum, ingenio magnum dixerunt Joannem, qui propiùs observârunt. Anno Domini 1398. Herbipoli Erfordiam transtulit Academiam, quòd Musæ pacis filia, aut minimum amicæ inter seditiosos cives vix sperarent locum sibi reliquum. In Imperij damnum maximum aut ruinam penitus natus factus videri poterat Imperator Wenceslaus Caroli IV. filius, in omne vitiorum genus effusissimus, cum interea Hussitarum hæresis omni pestilentia gravior per Germaniam universam grasseretur. Quare inter auctores eligendi novi Cæsaris Joannes ferè auctor maximus, unà cum Electoribus aliis deposito Wenceslao, Fridericum Brunsvicensem elegit, post paucos dies è medio sublatum ex insidiis à Waldckiano Comite structis, quarum auctorem, uti fieri amat, multi dixe-

dixerunt Joannem Moguntæ Electorem, inter communia mala zolis passim obviis sententiam malignam dicentibus. In verticem Friderici vocatus Jodocus Moravia Marchio, multorum annorum senex, & hoc brevi mortuo Rupertus inter Palatinos Electores Ruperti II. filius, post annos Imperii 10. bellum movit Joanni Electori, cui soli maximè mors profuit, dum Cæsarem Imperii columnam stravit. Inde omnium Electorum suffragiis electus Imperator Sigismundus in Germaniam venit, cujus præsidio fretus Elector Moguntinus Hermannum Hassiæ Landgravium oppugnavit. Concilio post breve tempus Constantiæ indicto, cum Joannis XXI. diei XXIII. Pontificis partes Joannes Elector sibi propugnandas existimaret, ex datis à Concilio epistolis intellexit, satius esse communi Patrum sententiæ acquiescere, turbas in Germania tollere, & hæresi Hussianæ pro viribus occurrere, quæ omnia strenuè peregit, usquedum egit animam an. 1419. Sedis 22. sub Pontificibus Bonifacio IX. Innocentio VII, Gregorio XII. Alexandro V. Joanne XXI. & Martino V.

SE C U L U M XV.

XLVII. CONRADVS III. ELECTOR. XXXI.

Conradus III. Comes Rhenanus vestigiis Joannis mortui insistens, continuò dedit literas ad Episcopos & Abbates sibi subditos, ut seriò incumberent ad emendandos Clericorum juxtaque Monachorum mores. Operam ea ex parte strenuam navavit Conrado Cardinalis Placentinus à Martino V. Pontifice Germaniæ magnam partem lustrare & emendare jussus. Annis dein decem continuis ferè pugnante adversus seditiosos Bohemos Rege & Imperatore Sigismundo, vicariam Imperio adhibuit manum, multorum Principum ob id expositus odiis, tanta munera, magna onera esse nescientibus. Cæterum Archipræsulem